



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. III. Patrinus in jure dicitur, qui intentione exercendi hanc
ceremomoniã secundùm quod in Ecclesia Catholica fit, tangit physicè
(immeditatè, vel medijs vestibus, linteo, aut etiam disco, per ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

Nec obligatio est gravis.
 ejus omisso sit grave an leve peccatum. Meo judicio & plurium aliorum, quos refert Tannerus hic disp. 4. q. 2. dub. 1. n. 23. ex gravitate obligationis adjunctæ factis colligitur gravitas hujus ceremoniæ.

Videm.
 Unde sapissime de illa agitur in decretis Conciliorum, & supponitur à Concil. Trident. sess. 24. c. 2. ubi restringit cognitionem spiritualement, quæ ex illa oritur, ut infra videbimus; & admonet Parochum, ut, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, suscipiatur, quem, vel quos elegerint, ut baptismum de sacro fonte suscipiant &c.

Rit. Rom.
 Idem præscribitur in Rit. Rom. Tit. De Baptismo. §. De Patrinis; Ne plures, inquit, quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat. Quæ omnia satis superque indicant notabilitatem prædictæ solemnitatis.

16. In Baptismo privato non potest adhiberi Patrinus.
 Porro secunda pars conclusionis vel ex ipso nomine Baptismi privati datur intelligi; siquidem Baptismus dicitur privatus, qui ab unoquoque licite ministratur in necessitate sine solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis. Cùm ergo, secundùm omnes DD. laici & Clerici interiores Diacono non solum non debeant, sed nec licite possint adhibere Catechismum, Exorcismum, & similes ritus, dum in necessitate baptizant, pari ratione dico ego non solum non debere, sed nequidem licite posse adhibere Patrinum, seu susceptorem; quia hoc esset Baptismum solemniter administrare, saltem ex parte.

Nec esset Patrinus, esto teneret animo verè suscipiendi.
 Hinc per accidens & impertinens est ad Baptismum privatum, quod aliquis teneat parvulum baptizandum, & ideo, etiam à communi plebe, non vocatur Susceptor sive Patrinus; nec vocari deberet, etsi faceret animo verè suscipiendi; quia hoc non penderet ab ipsius voluntate; sed oportet facere ceremoniam requisitam ab Ecclesia ad talem appellationem: Ecclesia autem postulat, ut ille contactus fiat in Baptismo solemniter. Unde illa tentio baptizandi in necessitate est magis propter commoditatem & honestatem, quam propter ceremoniam.

17. Sicut nec iste, qui tenet dum implentur Ceremoniæ omittit.
 Ex quo rursùm sequitur non esse verum susceptorem aut Patrinum, qui puerum domi baptizatum, postea publice in Ecclesia tenet; dum supplentur ceremoniæ omittæ; quia tunc non ministratur Baptismus; adeoque non suscipit in Baptismo, quod tamen necessarium est, sed in Catechismo. Similiter qui levat de sacro fonte, quando ex defectu materiæ, formæ, aut intentionis Sacramentum ministratur invalidè.

18. Adeoque
 His admittis manifestè sequitur, præ-

tos Susceptores, si ita placeat eos appellare, nullam contrahere cognitionem spiritualement, sive cum baptizato, sive cum ejus parentibus, quod docet Sanchez, de Matrim. lib. 7. disp. 62. n. 14. cum Suario & alijs, quos citat. Patet, quia non sunt veri Susceptores, ut ostendimus.

Et specialiter id declararunt Cardinales in secundo casu his verbis: *Qui in Ecclesia dumtaxat fuit presens ei, qui domi fuerat verè baptizatus, sed deinde in Ecclesia servata fuerunt solæ solemnitates, nullam cognitionem spiritualement cum eo contraxit.* Utique neque Susceptor, neque Parochus, qui adhibuit ceremonias; quia nec ille verus Susceptor, nec hic verus baptizans.

Quis ergo? Ille qui domi verè baptizavit; jus quippe decernit absolute & generaliter cognitionem spiritualement pro omni verè baptizante, eò quod Baptismus sit aliqua spiritualis regeneratio; non minus autem spiritualiter regeneratur, qui privatim, quam qui solemniter tingitur; neque magis secundùm spiritum renascitur; qui in exteriori tantùm apparentia mergitur, quam qui nullo modo. Unde sicuti baptizans invalidè non contrahit cognitionem eum invalidè baptizato, ita neque Susceptor in tali Baptismo.

Sed petes, quæ sit illa ceremonia, ratione cujus aliquis in jure habetur & dicitur verus Susceptor, sive Patrinus? Pro resolutione erit

CONCLUSIO III.

Patrinus in jure dicitur, qui intentione exercendi hanc ceremoniam secundùm quod in Ecclesia Catholica fit, tangit physicè (immediate, vel medijs vestibus, linteis, aut etiam disco, per se, vel per procuratorem) baptizatum, aut tempore Baptismi, aut statim postquam à Sacerdote levatur de fonte, ubi moris est sic baptizare.

Breviter: in Patrinus requiritur voluntas suscipiendi, & tactus physicus pariter per se, vel procuratorem. Prima pars est communis. Fundatur; quia actus agere non potest

Sect. 6. De Ceremonijs Baptismi. Concl. 3. 383

non operantur ultra eorum intentionem. Quemadmodum ergo ad verum contractum requiritur animus contrahendi; ad veram legem voluntas legislatoris subditos obligandi; pari ratione ad contrahendam obligationem veri susceptoris necessarius est & sufficit animus obcundi munus Patris ab Ecclesia institutum.

Non autem in contrahenda paternitatis spiritualis. Alqui apud Zanch de Matrim. lib. 7. disp. 58. n. 2. ad contrahendam cognationem spirituales ultra susceptionem exigunt intentionem contrahendae paternitatis spiritualis. Sed falluntur, quia qui vult principale vult accessorium, quod ex eo sequitur.

20. Quapropter sicuti intendens baptizare, velit nolit, contrahit cognationem, utpote ab Ecclesia annexam independentem à cuiusque voluntate, ita etiam volens verum munus Patris obire, seu efficere quod Susceptores efficiunt, implicitè saltem vult, & ideo contrahit, omnem obligationem illi muneri ab Ecclesia similiter annexam. Igitur etiam impræfentiurum oritur obligatio ex consensu, & non absque illo.

Quod multis alijs exemplis ostenditur. Sanè non semper exigi explicitum, & directum consensum in ipsam obligationem, convincitur exemplo damni iniuste illati, quod obligat ad restitutionem nolentem explicitè & directè obligari. Similiter ex peccato nascitur obligatio penitendi in hoc saeculo, vel in futuro satisfaciendi per poenās purgatorij. Iterum ex actu inducendi alium, ut pro me fidejubeat, nascitur obligatio non solum satisfaciendi fidejussori, si pro me solvat; sed etiam cavendi, ne pro me solvat. Rursus iuramentum cum animo jurandi, licet sine animo se obligandi (secundum probabilem multorum opinionem) verè obligat.

In quibus obligatio non pendet directè & proximè à voluntate mea. Quidni ergo similiter obliget susceptio cum voluntate suscipiendi, sine voluntate se obligandi? Et ratio est, quia obligatio in prædictis exemplis, sicut & in casu præfenti, non pendet directè & proximè à mea voluntate, sed tantum remotè & in radice, in alio nempe actu, ad quem illa necessariò, sive ex voluntate Dei, seu jure naturali, sive ex voluntate Ecclesiae, seu jure Ecclesiastico sequitur.

21. Aliud cernitur in contractibus, Matrimonio, voto & similibus, quorum essentia, vel saltem effectus intrinsecus & quasi formalis est obligatio: unde definitur contractus L. Labeo 19. ff. de Verb. signif. *Utrò curioq; obligatio.* Et promissio à Theologis communiter describitur: *Deliberata & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quam bonam & possibilem.*

Profectò promittere respectu Dei nihil est aliud, quàm velle se obligare, & absoluta voluntas de præfenti se obligandi Deo, est promissio. Convincitur ergo non velle vivere aut contrahere Matrimonium, qui non vult se obligare. Contrarium apparet in illis actibus, quorum substantiam sequitur obligatio; tamquam effectus resultans ex aliena voluntate.

Stat itaque quempiam velle exercere ceremoniam suscipiendi baptizatum, ab Ecclesia institutam, sine explicita ac directè voluntate se obligandi, qui tamen obligabitur ex voluntate Ecclesiae, quæ neminem admittit ad id munus, nisi cum tali onere.

Si inferas, ergo etiam incurrit obligationem, qui solum materialiter tangit; sicuti contrahit affinitatem, quæ violentè opprimitur, aut in somno vel amentia cognoscitur.

Assigno disparitatem; quia affinitas oritur præcisè ex ipsa copula, ut suo loco explicabitur. Porro quis dixerit ebrium vel amentem tenentem parvulum, esse verum Patrem, & contrahere obligationem? Itaque sine intentione non ponitur ceremonia; cui ab Ecclesia talis obligatio annexitur.

Equidem quod non sufficiat materialis tactus perspicuum est in illis, qui majoris commoditatis gratià parvulum dum baptizatur brachijs gestant, aut supra fontem elevant, susceptoribus veris solum leviter manum apponentibus. Quia itaque tactus iste fieri potest ob diversos fines, necessaria fuit intentio suscipiendi, quæ constitueretur in esse talis ceremoniæ.

Et hinc patet quare procurator, de quo statim erit sermo, non contrahat ullam obligationem, quia videlicet non suscipit, sive tangit nomine suo, sed alterius. Hæc pro prima parte conclus.

23. Secunda pars constat ex verbis, quibus jura explicant munus Patris, scilicet, *Suscipit, levat, tenet* &c. 30. q. 1. c. 1. ibi: *Proprios filios susceperunt, ex lavacro sancto.* cap. 2. ibi: *Ante Episcopum tenuerit ad Confirmationem.* Cap. 3. ibi: *De sacro fonte levaverit.* Et cap. 7. ibi: *Eumq; ipse proprijs manibus retinendo suscepisset.* Quæ omnia sonant aliquem contactum physicum, saltem mediatum. Et ita habet praxis Ecclesiae.

Unde non contrahit obligationem, qui accipit infantem de manibus Susceptoris, neque etiam qui tenet ante Baptismum vel qui adstat solum tempore Baptismi, quasi accipiens infantem in curam suam.

Neque obstat, quod baptizandus possit esse

22. Objectio.

Solutio.

Non sufficit contactus materialis.

Sed necessaria fuit intentio suscipiendi.

23.

Iuncto contactu physico.

Saltem mediatum.

esse adultus, qui per se stare potest; quippe illa tentio vel susceptio non est ordinata ab Ecclesia ad sublevandam naturalem ipsius imbecillitatem, sed significandam infantiam & imbecillitatem spirituales.

24. Non sufficit quoque quod quispiam respondeat in Catechismo; sed nec hoc requiritur, quia tunc verè nondum baptizatur; ordinariè tamen Susceptores etiam respondent. Ita docet Sanch. de Matrim. lib. 7. c. 56. n. 10. contra plures alios, quos citat, qui putant responsonem, fortè etiam verbis, omnimodè necessariam esse. Verùm jura statim citata nullam mentionem faciunt responsonis; fortassis quia in ipso Baptismo nulla fit interrogatio; sed in Catechismo dumtaxat.

Non est necessaria Patris responso.

Unde jura, quæ ab adversarijs allegantur, & videntur exigere responsonem, intelligenda sunt de Patris Catechismo; nos autem hîc agimus de Susceptore Baptismi, qui potest esse distinctus, quamvis, ut dixi, regulariter sit idem.

Confirmatur ex Trident. sess. 24. de Matrimo c. 2. Ubi æquiparantur cognationes ortæ ex Baptismo & Confirmatione; perspicuum autem est in hac nulla Patrinorum verba esse necessaria; ergo neque in illa.

25. Ultima particula, videlicet *Per procuratorem*, etiam suos patitur contradictores, inter cæteros Sanchium supra disp. 59. n. 4. hoc præcipuè fundamento, quia jura requirunt actionem personalem: patet ex verbis, quibus utuntur: *Suscipit, accipit, tenet* &c.

Basil. Romim.

Nostram conclusionem tenet Basilus Pontius de Matr. lib. 7. c. 39. n. 10. & meritò, ut jam ostendo; quia per procuratorem possunt fieri ea, quæ jure non sunt prohibita: Reg. 68. de Reg. Juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Intellige, nisi specialiter prohibeatur. Idem conceditur L. 1. ff. de Procuratoribus §. 2. *Vsus autem procuratoris perquam necessarius est; ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri.* Nullo autem jure prohibetur susceptio per procuratorem; quippe tenere, suscipere, & similes actiones, etsi per procuratorem fiant, jure à nobis fieri dicuntur; quemadmodum dicimur profiteri, jurare, vovere per alium.

Cum talis susceptio nullo jure prohibeatur.

26.

Respondet Sanch. supra n. 9. id de juramento specialiter esse à jure constitutum propter frequentiam, & necessitatem ad litium expeditionem, & hoc in aliquibus casibus jure expressis, secus in non expressis.

Fateor; sed indè vel hoc saltem proba-

tur, quòd illa, quæ videntur sonare actionem personalem, possint fieri per alium, nisi aliquid obstat: hic autem nihil obstat, quò minus ita interpretemur jura superius allegata, quæ dicunt puerum tangi, suscipi &c. ut intelligantur per se, vel per alium.

Quin imò consuetudo, quæ est optima legum interpres, permittit Magnatibus & Principibus, sciente, & non contradicente Ecclesiâ, suscipere per procuratorem. Quòd si in istiusmodi casibus Principes non sunt veri susceptores, certè nullus erit, etiam in sententia Sanchij, qui ibidem n. 12. docet probabilius, procuratorem non contrahere cognationem spirituales. Ergo Baptismata illa destituentur præcipuâ ceremoniâ, quòd non est credibile Ecclesiam tam facile permissuram.

Huic argumento cedit Sanchez assensus n. 6. consuetudine induci posse, ut contrahatur obligatio Susceptoris, tenendo per procuratorem. Quapropter cum de hæc constet consuetudinem esse inducendam, ex ea non parum sententia nostra confirmatur. Sicuti etiam ex contractu Matrimonij, qui utique valet per procuratorem.

Sed respondet Sanchez Matrimonium esse contractum; qui solo consensu perficitur, de quo & similibus negotijs intelligitur jura supra pro nostra opinione allegata.

Contra; consensus matrimonialis æquivalet traditioni, ut proprio loco patebit. Et sanè mutuum, donatio, commodatum, ac similes contractus numquid perficiuntur traditione? Et quis propterea negat eos fieri posse per procuratorem? Sicut ergo illæ obligationes contrahi possunt per alium, cur non similiter obligatio inducendi baptizatum, & cognatio spirituales? Siquidem ille qui suscipit solum est fidejussor coram Deo & Ecclesiâ pro debita instructione infantis; jam autem potest quis in alijs materijs fidejubere per alium; ergo etiam in præsentia.

Respondet Sanchez Patrimium per se primò constitui Patrem spirituales, ad quod desideratur realis & personalis contractus, ut servetur analogia ad patrem carnalem, in quo requiritur actus personalis.

Contra; non in omnibus debet esse similitudo inter patrem carnalem & spirituales, alioquin uti in generatione carnali necessario intervenit pater & mater, & utrique incumbit obligatio erudiendi filium quoad esse naturale, ita quoque in generatione spirituali duo exigantur Patrim, quibus incumbat obligatio ad spirituales eruditionem, cum tamen certè unicus sufficiat. Quid clariùs quàm Petrum v. g. per electionem

electionem in Prælatum constitui patrem spiritualem absque ulla actione personali circa suos subditos ?

Confirmat. 29. Accedit in confirmationem communis sententiæ, quod actus susceptionis, ut Sanchez fatetur, nulli præjudicet, & quod non eligatur persona industria in levatione à sacro fonte, sed bene in obligatione instruendi levatum; à qua minimè eximitur levans per procuratorem.

30. Confirmat. 4. Denique jure antiquo mulier contrahat cognitionem spiritualem per actionem viri cap. Martinus Extra de Cognitione spirituali ibi: *Cum secundum verbum Domini vir & mulier efficiantur per coniubium una caro, liquidum est Tebergam non posse matrimonialiter copulari Martino, qui compater eius fuerat, cum quo una caro Teberga noscitur extitisse.*

Responsio Sanchez refutatur. Respondet Sanchez, id specialiter jure Canonico fuisse institutum propter unitatem carnis inter conjuges, quæ non reperitur inter procuratorem & principalem.

Contra; invenitur talis unitas, propter quam actio procuratoris meritò imputatur mandanti, & hæc sufficit.

31. Objectio 1. Lex 25. ff. de Adopt. Arguit cum Sanchio supra n. 4. cognitio legalis non potest contrahi adoptando per procuratorem, argumento L. Post mortem 25. ff. de Adopt. ibi: *Neque adoptare, neque adrogare quis abiens, nec per alium eiusmodi solemnitate peragere potest.*

Solvitur. Respondeo esse particularem constitutionem; ostendat Sanchez similem ritum suscipiendi, & statim ei subscribimus.

32. Objectio 2. Arguit Secundò, impedimenta Matrimonij sunt odiosa: ergo minimè inducenda, ubi non est jus expressum.

Solvitur. Respondeo impedimentum, id est, cognitionem spirituales jure expressissimo tam novo, quam antiquo consequi veram susceptionem: porro susceptionem per procuratorem esse legitimam, quamvis nullo jure explicitè decernatur, implicitè tamen, ut diximus, constituitur in illis juribus, in quibus dicitur qualibet negotia posse peragi per procuratorem, cum nulla sit ratio hoc negotium excipiendi.

33. Objectio 3. Arguit Tertio; qui baptizat per procuratorem non contrahit cognitionem: ergo neque qui suscipit.

Solvitur. Respondeo negando consequentiam. Do disparitatem; quia procurator baptizans contrahit impedimentum, utpote regenerans nomine suo, & nomine Christi, quamvis ex licentia alterius; procurator autem suscipiens non tenet nomine proprio vel Christi, sed nomine mandantis.

Unde supra cum Sanchio diximus ipsum non esse verum Patrum, & per conse-

quens non contrahere cognitionem: enimvero qui exercet actum externum, ex quo induceretur obligatio, non manet obligatus, si verè constet ipsum non seriò talem actum suo nomine exercuisse. Breviter, unus verè baptizat, alter non verè suscipit. Quid ergo miramur, si procurator suscipiens non contrahat cognitionem ?

Hæc est communior & probabilior sententia, pro qua extat duplex declaratio Cardinalium apud Fatinacium & Rebelum num. 90. & 92. Prima: *Procurator non contrahit cognitionem spirituales sibi, sed mandanti.* Secunda: *Qui levat aut tenet procuratorio nomine nullam contrahit spirituales cognitionem.* Nihilominus

Obijcitur Primò; L. Is qui 13. §. Si libero. ff. Commodati. ibi: *Plerumque enim id accidit, ut extra id, quod ageretur, tacita obligatio nascatur.*

Respondet Sanchez supra n. 13. in casu illius legis; eum qui commodavit voluisse commodare, & commodatarius sibi obligare, licet crederet se commodare servo, qui tamen erat liber; ac proinde non fuit defectus voluntatis ex parte commodantis; sicuti deficit in procuratore animus tenendi nomine proprio.

Obijcitur Secundò; L. Procurator qui pro evictione. §. ff. de Procur. ubi qui tamquam procurator de evictione promittit, tenetur, etiam finito officio. *Est, inquit, negotium agere deserit, obligationis tamen onere Prætoris auxilio non levabitur.*

Respondeo intelligi, quando alieno nomine facienti acquiritur aliquid, ut in casu istius legis acquirebatur; in presenti autem nihil venit querendum procuratori; nec animum habet sibi aliquid querendi.

Sed numquid vir potest assumere mulierem in procuratorem? Negat Diana, dicens fundari in Rit. Rom. & Trident. sed nulla est apparentia. Magis apparenter potuisset adducere declarationem Cardinalium, quæ refertur ad sess. 24. c. 2. *Procurator non contrahit cognitionem spirituales sibi, sed mandanti.* Hinc est, quod unus, qui sit viri, alter qui sit procurator mulieris, baptizatum de sacro fonte suscipere possunt, sed non duo viri, vel dua mulieres; unusquisque tamen proprio nomine, non item vir loco mulieris, vel mulier loco viri.

Equidem est declaratio Cardinalium, de qua non satis authenticè constat, inhærendo decreto Urbani VIII. sub die 11. Augusti Anni 1632. Verba autem decreti sunt hæc. *Cum ad notitiam huius sacre Congregationis pervenerit, quam plures declarationes, decreta, seu decisiones sub nomine eiusdem sacre*

procuratorem & suscipientem.

Procurator suscipiens non contrahit cognitionem. Declar. Card. Fatinacium, Rebelum.

34. Objectio 1. Lex 13. ff. Commod.

Responsio.

35. Objectio 2. Lex 67. ff. de Procur.

Responsio.

36. An vir possit assumere mulierem in procuratorem ?

Negativa pars videtur fundata in declaratione Card. nalius.

De qua non satis constat inhærendo Decreto Urbani VIII.

Congregationis absque illius auctoritate impressas in libris, seu alijs operibus circumferri & allegari, multasq; ex declarationibus, decretis seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorumq; qualitates & circumstantias, à sedibus temporibus factis, secundum ea, quae proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsitan alias mentio S. Congregationis nomine confectas, nulloq; propterea authentico sigillo munitas, illasq; per tribumalia tam in urbe, quam per orbem circumferri & allegari, considerans eadem sacra Congregatio Rituum, quantum detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhibeatur, ex speciali S. D. N. Urbani VIII. iussu mandat, & praecipit huiusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quam imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam, sed tantum illis, qui in authentica forma, solito sigillo & subscriptione Eminen. Cardinalis Praefecti ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munita fuerint. In quorum fidem haec propria manu subscripsimus, & sigilli proprii S. Rituum Congregationis impressione communiti ac typis mandari iussimus. Datum Romae die 11. Augusti 1632. C. Episc. Port. Card. Pius. Locus sigilli lul. Rossi. gloss. Secre.

Unde affirmativa pars iudicatur vera;

Cum ergo aliunde constet, quod in alijs contractibus possit (etsi in Matrimonio minus deceat) mulier esse procurator viri, & vir mulieris, idem iudicio affirmandum in susceptione baptizati de sacro fonte.

Deinde sensus declarationis esse potest: procurator mulieris, sive vir fuerit sive mulier, non suscipiat nomine viri, sed nomine proprio, hoc est, nomine mulieris, à qua institutus fuit, similiter procurator viri, sive mulier sive vir, nomine viri, & non mulieris; procurator quippe non potest agere nisi nomine mandantis, alioquin convincitur principalis.

37. Caeterum cum saepe in hac conclusione mentionem fecerimus obligationis, quam contrahunt veri Patrini, inquiri pro fine huius discursus, quod sit objectum istiusmodi obligationis? Responso in promptu est, instruere baptizatum in fide, & moribus Christianis, praeter impedimentum Matrimonij, de quo proprio loco.

Sumitur ex D. Aug. Ser. quodam post Pascha, qui sic incipit: Hodiermus dies, & refertur de Consec. dist. 4. c. 105. Verba textus subscribo: Vos ante omnia tam mulieres quam viros, qui filios in Baptismo susceptis, moneo, ut vos cognoscatis fidei usores apud Deum extitisse pro illis, quos vultis de sacro fonte suscipere. Ideoq; semper eos admonere, ut

castitatem custodiant, iustitiam diligant, divitiam teneant.

Et paulò post: Ante omnia Symbolum & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite. Utique sub gravi obligatione, secundum DD. communiter, quia materia gravi, ut patet, & unusquisque tenetur illud facere, seu illud munus explere, quod assumit, atque assumendo tacite promittit se facturum. Interim quia praecipuum affirmativum, quamvis semper, non tamen pro semper obligat.

Hinc cessat praefens obligatio, quando baptizatus habet parentes vel Parochum aut praepotorem, à quo creditur sufficienter instruendus; adeoque ab hoc onere plerumque excusantur Patrini in regionibus Catholicorum, ubi parentes & Parochi, iudicant, alijve religiosi, vel pij saculares solent instruere & docere pueros; in alijs autem partibus sive haeticorum, sive etiam Catholicorum, in quibus multi rudiores homines proles suas tamquam betulas educant, existimo rem esse plenam periculi: postquam tamen baptizatus semel factus fuerit instructus, expirat omnis obligatio, quia jam desit esse in statu spirituali infantiae. Ita Suarez ad art. 8. q. 67. & alij.

Ex dictis & probatis hac conclusione pervium est, irritò planè conatu assumi ad munus Susceptoris pueros ante usum rationis vel amentes, utpote incapaces debita intentionis. Immo secundum Rituale Rom. Tit. de Baptismo §. de Patrini: Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit. Praeter hos autem

CONCLUSIO IV.

A munere susceptoris iure positivo arcentur, Primò Abbates, & Monachi. Secundò infideles, id est, non baptizati. Tertiò proprii parentes. Attamen validè suscipiunt.

Primum patet ex Concil. Antiodotensi cap. 25. & refertur de Consec. dist. 4. cap. 103. Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec com-
matres habere. Item ex lib. capitulorum, & ponitur ibidem cap. 104. Monachi sibi & com-
patres, commatres non faciant. Accetta
concl.